Morbio 25 (32)

Paulus episcopus servus servorum dei Universis et singulis Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis ac dilectis filiis Abbatibus Prioribus et aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis necnon Metropolitan et aliarum Cathedralium ecclesiarum Canonicis ac eorundem Archiepiscoporum et Episcoporum Vicariis in spiritualibus et Officialibus generalibus ubilibet constitutis Salutem et apostolicam benedictionem Militanti ecclesie licet immeriti disponente domino presidentes circa curam ecclesiarum et beneficiorum ecclesiasticorum quorumlibet solertia reddimur indefessa solliciti ut iuxta debitum pastoralis officii eorum occurramus dispendiis et profectibus divina cooperante clementia salubriter intendamus Sane dilecti filii Magistri Philippi Archinti clerici Mediolanen Notarii et familiaris nostri conquestione percepimus quod nonnulli Archiepiscopi et Episcopi ac alii ecclesiarum prelati eorumque vicarii et clerici aliique ecclesiastice persone tam seculares quam ordinum quorumcumque etiam mendicantium et Militiarum religiose exempte et non exempte necnon Duces Marchiones Comites Barones Nobiles Milites et laici Communia Civitatum et Universitates Opidorum Castrorum Villarum et aliorum locorum ac alie singulares persone Civitatum et diocesis ac aliarum partium diversarum occuparunt et occupari fecerunt Castra Villas et alia loca terras domos possessiones Iura et Iurisdictiones necnon Decimas fructus census redditus et proventus Monasteriorum et beneficiorum ecclesiasticorum cum cura et sine cura secularium et diversorum ordinum regularium que idem Philippus etiam ex Concessionibus et dispensationibus apostolicis in titulum et commendam ac alias obtinet et nonnulla alia bona mobilia et immobilia spiritualia et temporalia ad prefatum Philippum tam ratione persone sue et Monasteriorum ac beneficiorum predictorum quam alias communiter vel divisim spectantia et ea detinent indebite occupata seu ea detinentibus prestant auxilium consilium vel favorem nonnulli etiam Civitatum diocesis et partium predictarum qui nomen domini in vanum recipere non formidant eidem Philippo super predictis Castris Villis et locis aliis terris domibus possessionibus Iuribus et Iurisdictionibus decimis fructibus censibus redditibus et proventibus eorundem ac quibusdam aliis bonis mobilibus et immobilibus spiritualibus et temporalibus necnon diversis pensionibus annuis super certis fructibus redditibus et proventibus ecclesiasticis sibi assignatis ac pecuniarum summis et rebus aliis ei debitis illarumque perceptione et solutione necnon privilegiis et indultis ei ac etiam Monasteriis et beneficiis predictis tam a Romanis Pontificibus predecessoribus nostris quam aliis rite a Sedibus et aliis Superioribus concessis ac aliis rebus ad Philippum et Monasteria ac beneficia huiusmodi spectantibus multiplices molestias ac iniurias inferunt et iacturas Quare dictus Philippus qui etiam pro nobis et Romana ecclesia Alme Urbis Gubernator existit nobis humiliter supplicavit ut providere sibi super hoc paterna diligentia curaremus Nos igitur adversus occupatores detentores presumptores molestatores et iniuriatores huiusmodi eo volentes eidem Philippo remedio subvenire per quod ipsorum compescatur temeritas et aliis aditus committendi similia precludatur discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios etiam si sint extra loca in quibus deputati estis Conservatores et Iudices prefato Philippo efficacis defensionis presidio assistentes non permittatis eum super hiis et privilegiis ac indultis predictis necnon quibuslibet aliis bonis et Iuribus ad Philippum et per eum obtenta predicta ac que dum pro tempore obtinere contigerit Monasteria et bona ecclesiastica cum cura et sine cura secularia et regularia communiter vel divisim ut premittitur spectantibus necnon super libera perceptione et solutione pensionum annuarum ac pecuniarum summarum et rerum aliarum sibi pro tempore reservatarum et debitarum ab eisdem et quibusvis aliis indebite molestari vel ei gravamina sive dampna vel iniurias irrogari facturi eidem Philippo cum ab eo vel procuratore suo fueritis requisiti de predictis et aliis personis quibuslibet super restitutione huiusmodi Castrorum Villarum et aliorum locorum terrarum domorum possessionum Iurium Iurisdictionum decimarum fructuum censuum redditum et proventuum ac bonorum mobilium et immobilium spiritualium et temporalium necnon solutione et libera perceptione pensionum annuarum ac pecuniarum summarum et rerum aliarum sibi reservatarum et debitarum huiusmodi ac observatione privilegiorum et indultorum predictorum necnon de quibuslibet molestiis iniuriis atque dampnis presentibus et futuris in illis videlicet que iudicialem requirunt indaginem summarie simpliciter et de plano sine strepitu et figura iudicii in aliis vero prout qualitas eorum exegerit iustitie complementum occupatores seu detentores presumptores molestatores et iniuriatores huiusmodi necnon contradictores quoslibet et rebelles cuiuscumque dignitatis status gradus ordinis vel conditionis extiterint quandocumque et quotienscumque expedierit auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis Et nichilominus legittimis per vos super hiis habendis servatis processibus censuras et penas per vos pro tempore latas contra eos quos illas incurrisse vobis constiterit quotiens opus fuerit etiam iteratis vicibus aggravare curetis Ceterum si per summariam informationem per vos super hiis habendam etiam vobis constiterit quod ad loca in quibus occupatores detentores presumptores molestatores ac iniuriatores huiusmodi et alios quos presentes littere concernunt pro tempore morari contigerit pro monitionibus ipsis ac citationibus de eis faciendis tutus non pateat accessus Nos vobis monitiones et citationes quaslibet per edicta publica locis affigenda publicis de quibus sit verisimilis coniectura quod ad ipsorum monitorum et citatorum notitiam pervenire valeant faciendi plenam et liberam concedimus earundem tenore presentium facultatem Ac volumus et apostolica auctoritate decernimus quod monitiones et citationes huiusmodi sic facte ipsos monitos et citatos arctent perinde ac si eis personaliter facte insinuate et intimate fuissent Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifatii pape viii predecessoris nostri quibus cavetur ne quis extra suam Civitatem vel diocesis nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur seu ne Iudices et Conservatores a sede deputati predicta extra Civitatem et diocesis in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere aut alii vel aliis vices suas committere seu aliquos ultra unam dietam a fine diocesis eorundem trahere presumant et de duabus dietis in Concilio generali edita dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate presentium non trahatur seu quod de aliis quam de manifestis iniuriis et violentiis ac aliis que iudicialem non requirunt indaginem pene in eos si secus egerint et in id procurantes adiectis Conservatores se nullatenus intromittant quam aliis quibuscumque Constitutionibus a predecessoribus nostris Romanis Pontificibus tam de iudicibus delegatis et Conservatoribus quam personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis aut aliis editis que vestre possent in hac parte Iurisdictioni aut potestati eiusque libero exercitio quomodolibet obviare privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis predictis ordinibus et Militiis ac eorum et quibusvis aliis personis ecclesiasticis cuiuscumque dignitatis status gradus ordinis vel conditionis existentibus etiam Cardinali Archiepiscopali aut alia maiori dignitate seu auctoritate fungentibus ac communitatibus Capitulis collegiis universitatibus etiam studiorum generalium ordinibus spiritualibus et temporalibus dominis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis ac efficacioribus et insolitis clausulis irritantibusque et aliis decretis etiam Motu proprio et ex certa scientia ac de non trahendis illis aut eorum subditis extra eorum loca et dominia aut coram aliis quam eorum Iudicibus et Conservatoribus et alias quomodolibet concessis approbatis et innovatis quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica individua et expressa ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum nichil penitus omisso ac forma in illis tradita observata inserti forent presentibus pro sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus Seu si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum quod interdici suspendi vel excommunicari seu extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint [illegible] apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi ac eorum personis locis ordinibus et nominibus propriis mentionem et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam vestre Iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis Ceterum etiam volumus et prefata auctoritate apostolica decernimus quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico prepeditus Quodque a data presentium sit vobis et unicuique vestrum in premissis omnibus et eorum singulis ceptis et non ceptis presentibus et futuris perpetuata potestas et Iurisdictio attributa ut eo vigore eaque firmitate possitis in premissis omnibus ceptis et non ceptis presentibus et futuris et pro predictis procedere ac si predicta omnia et singula coram vobis cepta fuissent et Iurisdictio vestra et cuiuslibet vestrum in predictis omnibus et singulis per citationem vel modum aliquem perpetuata legittime extitisset constitutione predicta super Conservatoribus et alia qualibet in contrarium edita non obstante Verum quia difficile foret presentes litteras ad singula in quibus de eis fides forsan facienda fuerit loca deferri etiam volumus et dicta auctoritate decernimus quod illarum transumptis manu Notarii publici subscriptis et sigillo alicuius prelati seu persone in dignitate ecclesiastica constitute aut Curie ecclesiastice munitis in iudicio et alibi ubi opus fuerit eadem prorsus fides adhibeatur que adhiberetur eisdem presentibus si forent exhibite vel ostense eisdem presentibus quamdiu dictus Philippus in humanis egerit dumtaxat valituris Dat Rome apud Sanctumpetrum Anno Incarnationis dominice Millesimo quingentesimo tricesimo septimo Tertio Kl Aprilis Pontificatus nostri Anno Tertio

Gratis de mandato S.mi D. N.

A. de Castillo

E. [illegible]

Jo. de Fermo p[ro] Magro

Jo. Molinar

Tho. [illegible]

B. Beccaria

R[egistrat]a [illegible]

J. de Miranda

Morbio 25 (32)